



## **Codex diplomaticus Brandenburgensis**

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für  
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche  
Haus-Angelegenheiten

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

5. Kaiser Heinrichs VI. anderweitige Bestätigung der gedachten  
Uebertragung und der Wiederverleihung der betreffenden Güter an die  
Markgrafen und deren Descendenz, vom 28. Juli 1197.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

5. Kaiser Heinrichs VI. anderweitige Bestätigung der gedachten Uebertragung und der Wieder-  
verleihung der betreffenden Güter an die Markgrafen und deren Descendenz, vom 28. Juli 1197.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis, Hinricus Sextus, diuina fauente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et rex Sicilie. Licet uniuersorum rationabilibus et iustis desiderijs nostre maiestatis facilem impertiri et uelimus et debeamus assensum, eorum tamen uota magis amplectimur et fauore prosequimur ampliori, que cum rationi non obuiant, pium et commendabile noscuntur exordium habuisse. Ea propter uniuersitati presentium et futurorum noticie declaramus, quod cum Nobiles uiri Otto Brandenburgensis Marchio et Comes Albertus, frater eius, diuine remunerationis intuitu, ut celestis patrimoniū participes redderentur, predia ipsorum quecunque in ducatu transalbino, seu Marchia Brandenburgensi, uel in omnibus Comitatibus ad ipsam pertinentibus, seu in Comitatibus Theodorici Illustris de Sommershenborch et Nobilis uiri Ottonis de falkensten Comitum habuerint, magdeburgensi Ecclesie tradidissent, ab Archiepiscopo et suis Canonicis et familia Magdeburgensi promissionem huiusmodi acceperunt, quod predictus Archiepiscopus uel successor eius bona eadem, quecunque iidem fratres prefate ecclesie contulerunt, transacto anno et sex hebdomadis a tempore collationis ipsius, concedet in feodo et restituet eis uniuersa tam opida quam et castra; Predicti uero Marchio et frater eius tam illa bona, quam ea, que prius de Magdeburgensi Ecclesia tenuerunt, si prolem habuerint, in utriusque sexus personas tam filios quam et filias sane quotquot fuerint transmittent, qui etsi etatis minoris fuerint, bona tamen omnia cum omni iure et eo, quod Aneuelle uocatur, habebunt: in successoribus uero prime proles secundum distinctionem phodalis iustitie procedetur. Hanc autem constitutionem Archiepiscopus data fide Canonici maiores et quinquaginta ministerialium cum eorum filiis et fide et iuramento interpositis firmauerunt, quod utriusque partis litere ad nos directe declarant. Et nos hanc eandem inter eos conuentionem et promissionem imperiali auctoritate confirmamus. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto, ut nulla omnino persona alta uel humilis ecclesiastica seu secularis contra hanc nostre confirmationis paginam uenire presumat. Quod qui facere attemptauerit, in ulcionem temeritatis sue LX libras auri puri pro pena componat, dimidium curie nostre et reliquum iniuriam passis. Ad cuius rei notitiam presentem paginam inde conscribi et nostre maiestatis sigillo iussimus communiri. Huius rei testes sunt Wilhelmus Reginus Archiepiscopus, Samarus Tranensis Archiepiscopus, Bonusho Cusentinus Archiepiscopus, Wulfkerus Pattauiensis episcopus, Rodolfus Verdenensis Episcopus, Theodericus Traiectensis prepositus, Ludouicus Dux Bauarie, Conradus Marchio de Landesberch, Conradus Dux Spoleti, Albertus Comes de Wernigherode, Albertus de Groyz, Marquardus senescalcus, Marchio Anconensis et Dux Rauennensis, Hinricus Pincerna de Lutera et alii quam plures.

Signum Domini Henrici VI. Romanorum imperatoris inuictissimi et regis Sicilie. Ego Conradus Hildensemensis Episcopus, imperialis aule Cancellarius, una cum Domino Gualdo Troiano Episcopo et regni Sicilie Cancellario recognoui.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XC<sup>o</sup>. septimo, indictione quinta decima, regnante Domino Henrico VI. Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XXVIII. imperii uero VII. et regni Sicilie III. Datum Linarie V. Kal. Augusti.

Nach einer Abschrift im Stend. Archiv (Nr. 1), welche dem 14. Jahrhundert angehört, bis auf die Unterschrift, die nach Gerdens Cod. III, 65, wo dem Abdruck eine andere Abschrift zu Grunde lag, hinzugefügt ist.

6. Grabchrift der Markgräfin Sophia, Gemahlin des Markgrafen Johann's I., vom 3. November 1248.

Anno domini MCCXLVIII. III. non. Nov. obiit Domina Sophia Marchionissa de Brandenburg, filia quondam Regis Woldemari II, hic sepulta cum prole sua de novo edita.

Inchrift des früher in einer besondern Kapelle des Minoriten-Klosters, seit der Reformation in der Nicolaitirche zu Stensburg beruhenden Leichensteines nach Weller, Isagoge, P. III, 285 und Angeli Chronika S. 101.

7. Die Markgrafen Otto, Albrecht und Otto verkaufen der Stadt Berlin 10 Mark Brandenburgischer jährlicher Hebung aus der Münze daselbst, am 4. April 1280.

Nos Otto, Albertus et Otto fratres, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, omnibus presentes literas auditoris et uisuris in perpetuum. Notum facimus tenore presentium publice protestantes, quod ciuitati nostre Berlin ad suos redditus augmentandos, decem talenta Brandenburgensis monete annuatim soluenda de moneta in Berlin, cum proprietate et omni iure, quod nobis in eadem competebat, sine omni exactione et conamine, pro certa pecunie quantitate uendidimus et liberaliter dimisimus perpetuo possidenda, et in usus ciuitatis, prout consulibus eiusdem expedire uidebitur, utiliter conuertenda. Ut autem hec nostra uenditio tam manifeste et rationaliter facta per nos nostrosque heredes perpetuo maneat inconuulsa, et ne aliquibus malignari uolentibus super ea occasio tribuatur, nec in aliquibus dubium oriatur, presentes literas de nostra scientia scriptas sigillorum nostrorum suffragiis fecimus communi. Testes etiam, qui presentes fuerunt, sunt Iohannes de Carpzw, Arnoldus